

*Ad locum furis famosissimum vexatissimumq; in L. Posideri. 3. §. Ex contrario. s. ff. de acquir.
vel amittend. possib.*

1643,2.

PARTIS POSTE- RIORIS

*MEMBRVM QVARTVM,
DEO OPTIMO MAXIMO AUSPICE*

*IN CELEBERRIMA REIPUBLICAE ARGENTORATENSIS VNIVERSITATE publici
& solennis exercitij gratia propositum*

A

GREGORIO BICCIO, BUDISSINO,
U.J. Doctore, ac Pandectarum Professore
ordinario,

*RESPONDENTE
JOHANNE-HEINRICO WIELAND
RICOVILLANO.*

*Die Mensis Maii hor. à 7. promerid.
in Auditorio Novo.*



*ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS ANDREÆ
M. DC. XLIII.*

卷之三





QUÆSTIO XIII. ET ULTIMA.

*Qualemnam vim argumenta à simili deductā in
jure obtineant.*

Onuimus in priori parte nostræ cōmentationis θ. II.
& θ. II. ICtum Paulum in ultimis verbis hujus
§. priorem suam assertionem, quam in pr. §. protu-
lerat, illustrare & roborare notabili hâc similitu-
dine; quòd sicut absurdum est, & ipsa corporum
natura non permittit, ut tu stare videaris in eo
loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo tu sede-
revidearis, ita etiā absurdum sit, & ipsa corporum natura non
permittat, ut illius rei possessio, quæ revera & in solidum penes me
existit, aliique in solidum competit. Cujus adhibitæ similitudi-
nis occasione non abs re fore putamus, si quæstione hâc propositâ
paulò penitiū indagemus, qualemnam vim & fortitudinem ar-
gumenta à similibus deprompta in jure nostro obtineat? Quam-
vis autem nos non fugiant notissima illa Logicorum axiomata,
quibus omne simile claudicare, vel nullum simile quatuor pedibus curre-
re dicunt, statuuntque argumenta à simili desumpta potius ad il-
lustrandum & persuadendum, quām ad confirmandum convin-
cendumque comparata esse; quomodo etiam Boëtius in topicis
scriptum reliquit; locum à simili persuasionibus aptissimum esse, &
Rudolphus Agricola dixit, eundem ad explanandum, docendum, &
aliciendum potius: quām ad convincendum accommodatum esse: ne-
gare tamen non possunus, argumenta à similibus desumpta, si
modò recte riteque & observatis requisitis infrà proponendis for-
mentur, etiam in jure fortia esse posse, & plerunque probabilita-
tem tantum, quandoque probabilitatem & necessitatem conjun-
ctam habere; illud quidem quando vel judex aut advocatus nitit
facere assimilationem vel personæ ad personam, vel rei ad
rem, vel facti ad factum: Hoc verò quando ab ipsâ lege quorun-
dam assimilatio perficitur: ita distinguente Baldo in comment. ad. l.
Datâ operâ. II. mih. col. 5. p. 185. C. qui accusare non possunt, & ex eo
Everhard. in loc. top. in loc. à simili. pag. 100. & 101.

Quod ipsum ut evidentiūs appareat, nonnulla Exempla hujus

A 2

argu-

argumentationis à legislatoribus & interpretibus in utroque jure adhibita afferenda erunt, satis superque afferentia, non minus in jure atque alibi verum esse axioma illud, quod de similibus idem ferendum sit judicium. Usus est autem hoc argumento Imp. Iustinianus in §. item si adhuc. 10. Inst. de mandat. in quæstione utrum debitores Titi servum dispensatorem suum illis ignorantibus manumittentis, si liberto solvant, liberentur? Pro negativâ facere videbatur stricta juris ratio, quia alij solvissent quâm cui solvere debuerint; sed affirmativam afferit Imp. à simili, quod quemadmodum utilitatis causâ receptum est, ut si eo mortuo, qui tibi manda- verat, tu ignorans eum decessisse executus fueris mandatum, posse te agere mandati actione, non obstante stricti juris ratione, quod mandatum morte mandantis regulariter solvatur, ita & eandem utilitatis causam admittete, ut si debitores, ignorantes manumissionem servi dispensatoris, eidem solverint, ab ipso domino liberentur. Commandant hoc argumentum nobis in tit. ff. de legib. ICtus Julianus in l. Non possunt. 12. ibi: ad similia procedere debet, item in l. De quibus. 32. pr. ibi: tunc quod proximum & consequens ei est &c. & ICtus Ulpianus in l. Nam ut ait. 13. ibi: bona occasio est, cætera qua rendunt ad eandem utilitatem suppleri. Confugit ad illud Paulus no- ker in l. Hæc actio. 4. ff. si quadr. paup. fec. dicat. in quâ actionem, à Le- ge XII. Tabb. ad damnum à quadrupede datum vindicandum introductam, ad bipedis pauperiem, coercendam, propter similitudenem & rationis paritatem extendit. In primis autem in Iure Cano- nico à Pontificibus hic argumentandi modus & frequenter usur- patus, & diligenter inculcatus est, scilicet ab Alexandro III. in cap. inter ceteras, 4. in fin. ibi: idem in similibus observandum est, X. de re- scriptis, ab Innocentio III. in cap. inter corporalia. ibi: dubitari non debet quin omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episco- pum & Ecclesiam, suo tantum judicio dissolvendum reservaverit, qui dissolutionem etiam carnalis conjugij, quod est inter virum & fœmi- nam, suo tantum judicio reservaverit &c. X. de Translat. Episc. item in cap. in causis. 19. ibi: in similibus casibus ceteri teneantur similiter ju- dicare, X. de sent. & re judic. item in cap. Cum secundum apostolum. 16. pr. ibi: patet à simili. X. de præb. & dign. ut & in cap. Præterea. 2. ibi: quod ad instar eorum, qui societas in interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientiâ tolerari. X. de spon- sal. & matr. à Bonifac. VIII. in cap. Dudum. 14. circa fin. ibi: ad instar servi calendario præpositi &c. & ibi: & domini, qui peculium, quod pro- prio servo concessit, statim perimit, cum in eo suam mutaverit volunta- tem, de præbend. & dign. in 6. & ab aliis sæpius. Erit



Erit autem vis horum argumentorum illustrior, si primo quidem quæ nam sint similia, & quæ sit similitudo explicitur, secundò requisita hujus argumentationis subjiciantur, tertio in quibus juris particulis potissimum locum habeat, ostendatur, & quartò denique præcipue limitationes & restrictiones hujus argumentationis addantur.

Quoad primum sciendum Similia ad locum comparitorum pertinere, & propriè ea esse quorum eadem est qualitas, & vel una, vel plures: Quæcunque enim inter se comparantur, vel ratione quantitatis, vel qualitatis, & vel ejusdem vel diversæ inter se conferuntur. Sin prius, sunt paria & imparia; Sin posterius, sunt similia & dissimilia. Ex quibus sequitur, quod similia non convenient in omnibus & per omnia, alias enim non similia essent, sed eadem; quæ rectè ita describuntur, ut sint illa quorum eadem est substantia, proindeque nullum simile idem esse possit. Quod etiam docet cap. Innotuit. 20. X. de elect. & elect. pot. & d. cap. Inter corporalia, 2. X. de translat. Episc. Possimus itaque similitudinem seu definire, seu describere vel cum Ioh. Andr. ex Boëtio in topicâ Cic. lib. 4. in Novell. in cap. Non potest. 21. de præbend. & dign. in 6. fol. 92. fac. 2. quod sit rerum singularium & differentium eadem comparatio seu qualitas, quem sequitur Panorm. in cap. Translato. 3. col. 3. pag. 14. fac. 2. X. de Constitut. vel cum Baldo in Comment. sup. l. i. in pr. ff de just. & jur. m. pag. 7. quod sit recta adaptatio quando sit processus ab uno particulari ad aliud particulare, per aliquid quod est commune utriusque, puta per eandem rationem. fac. l. Non solum. 10. §. similiter. 6. ibi. rectè adaptans omnibus similibus capitulis. ff. de excusatio. & l. His solis. 7. C. de revoc. donat.

Quoad secundum, ut argumentatio à similibus rectè procedat, sequentia requisita probè observanda veniunt. I. Ut similitudo inter res comparatas in eo puncto intercedat, in quo sit comparatio, licet in aliis quædam dissimilitudo occurrat; Exemplo eleganti in cap. Constitutus. 45. X. de Appellat. in quo Pontifex Innocentius III. arguit à missione nuntij ad missionem procuratoris, ut quemadmodum potuerunt illi appellantes præfinito tempore mittere duos nuntios, ita potuissent destinae semel tantum unum procuratorem. Nam quamvis inter Nuntios & Procuratores multiplex inveniatur differentia, quia tamen in eâ qualitate, in quâ instituiuntur collatio, convenientia quædam inter eosdem occurrit, argumentatio meritò subsistit. Item in cap. Cum dilecta. 4. X. de Confirmat. util. vel inutil. ubi idem Innocent. III. ab examine testium valetudi-

55

niorum ante litem contestatam ad perpetuam rei memoriam fieris solito, propter æquitatis similitudinem, ad renovationem privilegiorum in papyro conscriptorum concludit, quamvis in aliis inter ita duo non una notari possit dissimilitudo. Addatur s. laudatus Ioh. Andr. in d. Novell. cap. Nō potest. 21. fol. 92. fac. 2. Quemadmodum porrò in hoc argumentandi genere non requiritur, ut res tota sit rei toti, cum quā confertur, similis; ita hoc argumentum à simili planè non procedit, si in eā qualitate, in quā sit comparatio, aliqua dissimilitudo occurrat. Atque in eo ostendunt Dd. practicam & modum destruendi hoc argumentorum genus, nempe ut ab Advocato probetur in illā qualitate, vel in illo actu, in quo instituitur collatio, intercedere inter res comparatas aliquam dissimilitudinem, quod ipsum accuratè præsttit sæpè citatus Innocentius III. in cap. Per venerabilem. 13. vers. videbatur autem ex eo. X. qui filii sunt legitimi: cùm enim ibidem Guilhelmus vir nobilis montis Pessulanus inter alia argumenta, quibus Pontificem ad legitimandum liberos suos persuadere conabatur, uteretur etiam loco à simili, quod Pontifex in Rege Francorum primo, qui reginam dimiserat, & ex aliâ postmodum superductâ puerum & puellam suscepserat, idem fecisset; Pontifex ostensâ dissimilitudine in actu separationis nodum istum solvit his verbis: Verum si veritas diligenter inspicitur, non res similis, sed valde dissimilis invenitur. Nam Rex ipse à Reginâ per Rhemensem Archiepiscopum Apostolicæ sedis legatum fuit persententiâ separatus; tu vero uxorem tuam à te temeritate propria separasti. Unde & putant Canonistæ interpretes, si appellantes in d. cap. Constitutus. 45. probassent, vel saltem probare potuissent, se nuntios quidem habere potuisse, procuratorem non potuisse, item iter quidem nuntio fuisse tutum, procuratori non item argumentum Pontificis, monstratâ dissimilitudine, elusum fuisse, ut videre est apud Panormit. in d. cap. Constitutus, not. 3. p. m. 110. f. 1. Qui de hoc primo requisito multa notabilia habet in d. cap. Træstatio 3. pag. 14. X. de constitution. dicens: Non sufficit allegare aliquam dissimilitudinem in genere: sed debet esse dissimilitudo in eo, ad quod fit comparatio. Vnde non expedit ut tota res sit alteri rei similis; sed satis est, quod sit similis in eo, ad quod fit comparatio. Hæc Panormit. II. Requiritur in argumento à simili, ut in se contineat duo extrema habilia, sc. extremum à quo, quod debet esse certum, & illi, in cuius gratiam similitudo adducitur, notum; & extremum ad quod, quod debet esse dubium, & illi, cui similitudinem proponimus, ignotum, quomodo & Canon Logicus docet, similia debere esse ei nota cui asseruntur,



feruntur, alioquin ipsi nihil vel declaratura vel persuasura esse: eleganti exemplo in l. In testamento. 31. ff. de Condit. & demonstr. in quā Africanus extremum illud dubium, incertum atque ignotum: utrum sc. in casu, in quo testator ita disposuisset. Stichus & Pamphila liberi sunt, & si in matrimoniu coierint heres meus his centum dare damnas esto; si uterque viveret & Stichus nollet eam uxorem ducere, cum mulier parata esset ei nubere, utrum inquam mulieri legatum debeatur? Argumentatione à simili deductā decidit, per aliud extremum certum & satis notum: sc. Si uni ita legatum esset: Titio. si Seiam uxorem duxerit, heres meus centum dato; & utroque viante, ipse quidem nolit eam uxorem ducere, quæ parata esset illi nubere, quod Titius, cuius factō conditio deficit, nihil ex legato consequatur; sin autem ipse paratus esset mulierem, nolentem ei nubere, in uxorem ducere, legatum ei debeatur; alio item exemplo in l. Comparationes. 20. C. de fid. instrum. in quā Imp. Justinianus sancit ut comparationes literarum ex illis saltem chirographis & chartulis instituantur, quæ antea dispositione testium probata, adeoque certa, fide digna, atque notiora sunt: quos textus adducit Baldus in d. l. Datā operā. 11. col. 3. p. m. 185. lit. c. C. qui accusare non possunt. Qui alibi hoc requisitum aliis etiam verbis proponit nempe similitudinem esse sumendam aut à majori, aut certè à pari ratione, non autem à minori. In illo enim extremo, in quo major ratio militat, major etiam certitudo & notitia locum habebit. Vid. ejusd. Comment. in l. Illud. 19. col. 2. pag. 27. C. de SS. Eccles. & eiusd. additio ad Speculat. in tit. de disput. & allegat. post. princ.

Quoad tertium quamvis ex jam dictis abundē colligere possumus argumentationem à simili desumptam per totum Iuris latifundium dispersum atque extensum esse, ita ut vix ac ne vix quidem una inveniatur materia, quæ ejusdem argumentationis usum non admittat, animadvertisimus tamen in sequentibus potissimum eam frequentiorem atque usitatorem esse. I. In legibus, textus in l. Non possunt. 12. ff. de ll. si modo in casu illo simili non reperiatur dispositio aliqua legis contraria, tunc enim extensionem istam locum non habere docent. Bart. in auth. Quas actiones. col. 3. pag. 28. fac. 2. C. de SS. Eccles. & in l. Non dubium. 3. col. 2. pag. 32. fac. 2. C. de LL. per l. Quod constitutum. 21. ff. de milit. restam. & per l. Si vero. 64. §. de viro. 9. ff. solut. matrim. item Bald. in d. l. Illud. 19. al. 2. lit. L. p. 27. C. de SS. Eccles. & Panormit. in d. cap. Translato, 3. in f. X. de Constitut. II. In itatutis. Bart. in d. l. Non dubium. 5. C. de LL. Bald. in l. 1. C. de Interd. col. 2. pag. 122. ubi exemplis rem illustrat; Ponit enim statutum dicere, quod

quod quicunque alterum in plateâ percussit, manus amputatione puniendus sit, percussisse quem alterum in palatio priorum seu dominorum, & huic vi statuti manum amputandam esse. Ponit item statutum dicere: Percutientem alterum in gulâ manus amputatione affligendum; hanc pœnam & eum manuram, qui in sinistrâ mamillâ, ceu loco æquè periculo, alterum vulneraverit. III. In consuetudinibus. Textus in l. De quib. 32. pr. ff. de LL. Bart. in d. l. Non dubium, s. ubi suprà Angel. in l. Si ei cui. 41. ff. de erit. IV. In contractibus, nam & in his à similibus ad similia argumentum procedit, textus in l. I. §. si quis servum. 9. & seq. 10. ff. depositi. & clarior in l. Nominibus. 2. C. de obligat. & act. in quâ Imp. nominibus in dotem datis utilem actionem marito concedunt, ad similitudinem ejus qui nomen emerit, quamvis nec delegatio præcesserit, nec litis cōtestatio secuta sit, ad quam l. id notat Bald. in fin. pag. m. 18. V. In testamentis, quod docet Ulp. in l. fin. ff. de test. milit. afferens id privilegium, quod initio solis militibus datum est, arg. l. I. pr. l. 2. l. Divus Traianus. 24. pr. ff. cod. tit. rescriptis principum, dubio procul ob eandem necessitatis rationem, ad alios quoque, qui jure militari testari non possunt, translatum, si sc. in hostio deprehendantur, & illic decedant. VI. In interdictis, notabili exemplo in l. I. C. de interdict. in quâ Imp. Alexander interdictum à Prætore in albo propositum, ne rami arborum vicinis noceant, propter itenditatem rationis extendit ad eum casum, quo non rami sed radices arborum in vicinâ areâ crescentes fundamentis domus vicinæ periculum afferunt. Ad quam l. notat Bald. col. I. pr. pag. 122. VII. In pœnaliibus, seu delictis & pœnis delictorum, quamvis cautum ut constitutiones pœnales restringantur potius, quam extendantur l. Interpretatione. 42. ff. de pœn. Textus elegans in lib. 2. Feud. tit. 24. quæ suit prima causa benef. amitt. §. item qui dominum. 2. vers. sed quia natura: ibi. Index solers & discretus & æquitati obsecundare sollicitus cuncta subtiliter dispensans, provideat, si qua fuerit antiquioribus causis similis vel major, ut proinde sciatur, utrum beneficium sit mittendum &c. item in cap. Si postquam. 33. de elect. & elect. potest. in. 6. in quo Bonifacius VIII. bis hoc argumentandi genere utitur, primò quidem dū constitutionem Nicolai III. Prædecessoris sui, de pœnis non venientium ad Curiam Romanam loquentem, ad eos extendit, qui quidem veniunt, sed negotio nondum finito ab eâ rursus redunt: secundò dūm constitutionem perstringentem eos, qui circa electionem & postulationem inveniendō vel mittendo quid committunt, propter paritatem rationis ad eos extendit, qui circa provisionem



visionem in prædictis peccant: ad quod capitulum *glossa* hos ut
trobique notat. Immò VIII. etiam in dispositionibus exorbitantibus à jure communi quandoque hujus à simili argumentationis usum locum habere monstrat Imp. Iustinianus in *l. Si quis ser-vo. 20. C. de furt. & servi corrupt.* afférens, quemadmodum in casu ibi-
dem posito persuasor propter dolum suum furti actione teneatur,
quamvis secundum juris regulas furtum non sit commissum, cum
is videatur furtum committere, qui contra domini voluntatem
rem contrectat, *fac. l. De eo. 63. ff. de don. int. vir. & uxor. item l. Inter omnes. 46. §. rectè. 7. ff. de furt.* ita & servi corrupti actio, propter e-
iusdem vitium, contra eundem locum habere debeat, quamvis
reipsa servus corruptus non sit. *Addatur §. Sed & si credat. 8. Inst. de oblig. que ex delict.*

Quoad quartum, plures quidem hinc inde in Iure occurruit
argumentationis à simili limitationes & restrictiones, quomodo
& Everhard. in *topic. legal. loco à simil.* pag: 101. & seqq. decem ca-
sus enumerat in quibus hoc argumentum non procedat, quos du-
bio procul desumptis ex Felino Sandro in *comment. ad cap. Transla-
to. 3. col. 5. & seqq. pag. m. 13. X. de constit.* nos autem
brevitatis studiosi præcipuas saltem & usitatores paucis
delibabimus. Et l. quidem fallit, quando contrariuni illius, quod
per argumentum à simili inferendum est, verbis apertis in Iure ex-
pressum & decisum est: quia enim argumentum à simili ex con-
jecturâ quâdam dependet, secundum doctrinam Bald. in *d. l. Datâ operâ. II. C. qui accusare non poss.* meritò in illis, quæ certa & jure de-
finita sunt, locum non habebit, *fac. l. Continuus. 137. §. cum ita. 2. in fin. ff. de verb. oblig.* illustri exemplo in *cap. I. X. de Solut.* in quo Ale-
xand. III. comparat quidem inter se filium qui se immiscuit pater-
næ hereditati, & successorem in beneficio, quod sicut ille tenea-
tur solvere debita patris, ita & hic debita prædecessoris sui; non
autem permittit, ut æquiparatio instituatur etiam in illis, in qui-
bus à jure diversū statutum est. Nam filius quidem tenetur, debi-
ta solvere indistinctè, sive pro necessitate patris contracta sive non:
Prælatus autem non aliter, quām si à prædecessore pro Ecclesiæ
utilitate debitum contractum sit. Ioh. ab Immola *add. cap. col. 2.*
pag. m. 211. ubi rationem diversitatis addit. Quam limitationem
etiam agnoscit Panorm. in *s. d. cap. Translato. 3. col. ult. pag. 14. ibi:*
dic quod ubi casus similis haberet legem specialem in contrarium, non debeat fieri extensio. II. Fallit in dispositione odiosa, si ea adjectam
habeat particulam taxativam, quæ ad similes casus, nunquam ex-

B tende-

teindetur, exemplo l.2. C. de de patrib. qui fil. suos distrax. ubi Constant. Imp. permittit, ut pater propter nimiam paupertatem egestatemque victus causâ filium filiamque sanguinolentos (ita enim legendum, non ut Holoandrina habet *sanguinolentus*) in hoc tantummodo casu vendere possit, quam vendendi potestatem neq; in liberis non sanguinolentis, neque in matre & avo, neq; in aliis causis, quamvis similis necessitas occurrat, locum habere recte statuimus, auctoritate glossæ *ibidem in vocabulo vendiderit*: Et ipsius Baldi in Comment. ad d. l. 2. in quæst. I. 2. & 4. pag. 105. fac. 2. Vbi seq. pag. 106. mentionem innuit III. Fallentia, quod nimurum hæc argumentatio non obtineat, quando in statuto seu dispositione quâdā caveretur, verba esse intelligenda ad literam & prout jacent; in eo enim casu ad similia non fieri extensionem. Litera enim illud dicit quod legi potest: Illud autem dicitur legi posse, quod oculis perspici potest, non quæ solo intellectu percipiuntur, secundum l.i. pr. ff. de his quæ in test. delent. ubi etiam Dominus Gothofr. in not. marg. Eandem limitationem habet Felinus Sandæus in comment. ad d. cap. Translatio. 3. col. 5. in f. m. pag. 13. X. de Constitut. IV. Fallit in constitutionibus imponentibus pœnam aliquam habitu respectu ad privilegium aliquod contra jus commune concessum, licet illi ipsi casus alias essent à jure equiparati. Sic dispositio in §. 19. vers. item mixta est actio. Inst. de Action. quod sc. contra eos, qui relecta SS. Ecclesijs vel aliis venerabilibus locis legati vel fideicommissi nomine dare distulerint, usque dum in judicium vocarentur, condemnatio in duplum facienda sit; neque ad ea quæ Reip. vel fisco relinquuntur; neque ad ea quæ in redemptionem captivorum legata sunt, extenditur à gloss. *ibid ad vocabulum in judicium*. Ubi etiam illud monet Iason. & Bald. in cap. Item qui. 2. vers. predictis modis. lib. 2. Feud. tit. 24. V. Fallit quando versamur in materia privationis, nec enim pœna privationis alicui imponenda est, nisi lex expressè illud dicat. Elegans est textus in Nov. 2. cap. cum igitur. 3. vers. fin autem non voluerit, ibi: patres si ad secundas veniant nuptias non fraudamus filiorum suorum successione, nec qualibet est lex aliquid tale dicens, quam ad hoc allegat Bald. in comment. ad auth. Ex testamento. C. de secund. nupt. col. 3. in f. pag. 156. citatus sed vitiosè à Felino in s. dicto cap. Translatio (dicit enim Baldum hoc dicere in Auth. ex testamento. C. de Collat.) Idem habet gloss. in cap. fin. in f. X. de jure patron. VI. Fallit in ea lege vel statuto quod in se non habeat aliquam rationem nisi quia ita placuit statuenti, quale exemplū ponunt in l. Prospexit. 12. §. ipsa igitur. 1. & seq. ff. qui & à quib. manu. nec enim



enini ejusmodi dispositionem ad similia extendēdam volunt Bald.
in l. Etsi dotis. . col. i. vers. Quero quid in socero C. de jure det. Ubi exemplum petit. ex l. Si verd. 64. §. de viro. 9. ff. Solut. Matrim. in quā Ulpi-an. dispositionem legis, quā marito & ejus heredibus iniungitur restitutio rerum à servo dotali à se manumisso jure patronatus acquisitarum, quæ destituitur ratione aliquā civili, ad socerum manumittentem & acquirentem non extendit. & Felin, Sand. in loc. s. laud. Atque hæc de quæstionibus, ex §. nostro eliciendis, dixisse sufficiente.

A X I O M A T V M I V R I S

in textu nostro latentium

S Y L L O G E.

Propositâ hactenus à nobis divinâ ope adjutis, textus nostri Paulini εξηγήσει, quæ ad Iurisprudentiam analyticam pertinere visa est; resolutis etiam atque decisis difficilioribus quæstionibus, ex eodem nascentibus, quæ ad Iurisprudentiam polemicam spectârunt; restat ut secundum dispositionem, quam in priori commentationis parte θ. 5. fecimus, etiam συλλογὴν Axiomatum seu regularum Iuris in eo latentium subiiciamus, atque ita quæ nostra mens sit de Iurisprudentiâ, quam vocant, Brocardicâ, quæ Regularum Iuris collectionem atque explicationem sibi vindicat, in apricum deducamus.

Non placet quidem in præsentiarum curam nostram extenderet ad αὐταντὸν definitionis regulæ, quam communiter nostri desumunt ex l. 1. ff. de reg. jur. ubi Paulus noster scribit, Regulam esse quæ rem, quæ est, breviter enarrat, non ut ex regulâ jus sumatur; sed ex jure, quod est, fiat regula. Per regulam enim brevem rerum narrationem tradi, & (ut ait Sabinus) quasi causæ conjectiōnem esse; quā curâ ante nos præclarè defuncti sunt qui ex professo de regulis Iuris tām Civilis quām Canonici scripsere, in quorum numero excellunt Dyonius Muxellanus, Albericus de Rosate, Philippus Franchus de Perusio, Philippus Decius, Cagnollus, Petrus Revardus, Petrus Faber, Everhardus Bronchorst; quibus addendi Ioh. Ramus in Enchirid. regular. jur. axiom. 3. pag. 3. Matth. Weseimb. in parat. ff. de reg. jur. n. 1. & 2. Francisc. Duaren. in comment. ad l. Iurisgentium. 7. §. quin immo. 5. ff. de pact. mih. p. 58. Nec fert animus in ipsam regularum conceptionem penitiū inquirere, quæ à prudentibus ita perficitur, ut vel causam aliquam generalem proponant, quam in varijs controversiis decidendis secuti sunt legum conditores & interpres;

B 2.

sive

sive eā generalitatē denotēt signo universali; sive indefinito; universalis & equipollenti, sive dictionib. multa cōprehendentibus, ut sunt ferē, plerunq; frequenter, non raro, & similes: vel certe ipsa etiam singularia, diversis lōcis in jure occurrentia, propter aliquā similitudinem, quam habent ad invicem, in unum corpus, memoriae gratiā, colligunt.

Sufficiat utilitatem eam, quam regulæ, ut in omnibus disciplinis & facultatibus alijs, ita &c. in Iurisprudentiā, habent maximam breviter indicare, eoque ipso studiosos adolescentes ad indefessam earundem collectionem atque annotationem invitare; solet enim utilitas promptissimos invenire procos, & sui sectatores.

Hanc in genere indicavit Gothofredus noster *in not. marg. ad d.l. i. ff. de reg. iur. ad lit. C.* dicens: *hujusmodi regulas magnam utilitatem in omni scientiarum genere adferre.* In specie autem quadriplex in primis est; Nam prīmō ingenium nostrum amicā suā brevitate valde delectant; deinde grātissimum memoriæ nostræ subfidiū prāstant; tandem ad scientiam quamcunque studiosos celerius deducere solent; & denique linguam nostram quām maxime erudiunt, & in eruditis collationibus expeditiorem faciunt. Per regulas enim & elegantes formulas longè clariūs ac promptius mentis conceptum explicamus, idque verissimum esse quotidiana experientiā edocemur, quod inquit Matth. Gribaldus *lib. 1. de ratione studend. cap. 7. pag. 47. & seq.* Sunt regulæ velut principia, quæ per totum artis corpus, sub unius animæ, veritatem puto, dominio diffunduntur, & veluti spiritus ad omnes partes florido vitæ balsamo deducuntur & diducuntur, quæ verba usurpat Thom. Sagittar. in *præfat. prefixa Inst. Iur. Iustini*anei, à se in axiomata seu regulas juris resolutis; ubi ad eundem scopum accommodat dictum Scaligeri, qui in *comment. in librum 2. Theophrast. de caus. plantar. cap. 1. fol. 107.* scripsit, principiorum agressionibus atque constitutionibus & disputandum & procedendum esse ad conclusiones, ut & dictum Aristotelis, qui *lib. 6. Ethic. ad Nicomach. tract. 2. cap. 5. mih. pag. 199. fac. 2. testatur*, suum sapientem non solum, quæ ex principijs sunt, cognoscere: sed etiam in ipsis principijs rerum tenere.

Quamvis autem nos non fugiat in accuratā regularum Iuris annotatione differentiam aliquam constituendam esse inter generales, quæ per omnes, aut certe plures Iuris materias diffunduntur, & inter speciales, quæ uni saltem materiæ peculiares sunt, quomodo & antecessor noster Mejerūs in *C. I. A. tit. de R. I. pag. 1964.* studiosos monet, ut in peculiarem istum librum, quem ad colligendas regulas, quæ per universum jus dispersæ occurrunt, conficien-



dum suadet, eas tantummodo consignent, quæ pluribus applicari possunt; speciales autem & certæ alicui parti aut materie proprias non inferant, sed potius in suum quemque locum coniulant: nos tamen axiomata in hoc paragraphe latentia sine discrimine generalitatis vel specialitatis recensebimus, distinctionem illam separationemque, quæ facilior est, privatæ studiosorum industriae relinquentes.

Συλλογὴ autem hæc est.

1. Contraria juxta se ponenda sunt.
2. Plures eandem rem in solidum possidere non possunt.
3. Eandem rem non ex una dunt axat causâ possidere possumus.
4. Eandem rem ex plurimis causis possidere possumus.
5. Dominium nisi ex unâ causâ nobis contingere non potest.
6. Quæ contra naturam sunt in iure vera esse non possunt.
7. Quæ contra naturam sunt, fictione juris introduci non possunt.
8. Contra naturam est, ut, cùm ego aliquid teneam, tu quoque id teneas.
9. Contra naturam est, ut, cùm ego aliquid teneam, tu quoque id teneare videaris.
10. In preclaro utrumque, & cum qui dederit, & cum qui acceperit, possidere, erroneum est.
11. Existimantes eandem rem alium justè, alium injustè possidere posse, errant.
12. Auctoritas auctoritati recte opponitur.
13. Reprehendendi sunt qui existimant, alium justè, alium injustè possidere posse, & tamen negant, duos injustè, vel duos justè possidere posse.
14. In decidendis controversiis, circa materiam possessionis ortis, ad summam possessionis respiciendum est.
15. In summa possessionis non multum interest justè quis, an injustè possident.
16. Sententia verior, & firmioribus subnixa rationibus, meritò alijs prefertur.
17. In quo loco ego sto, alijs stare non potest.
18. In quo loco ego sto, alijs stare videri non potest.
19. In quo loco ego sedeo, alijs sedere non potest.
20. In quo loco ego sedeo, alijs sedere videri non potest.
21. Eadem possessio apud duos esse non potest.
22. De similibus idem esto judicium.
23. Sicut si stare non potes in eo loco, in quo ego sto, ita eadem possessio apud duos esse non potest.

24. Sicuti tu sedere non potes in eo loco, in quo ego sedeo, ita non potest eadem possessio apud duos esse.

Atque ita labore eo, qui circa Paulinum textum explicandum ex lege quam ipsi diximus, nobis incubuit, omnino defuncti sumus; Sed quia non abs re esse videtur documento aliquo studiosis ostendere, quomodo in Iurisprudentia Brocardica se gerere, collectaque privatâ sedulitate Iuris axiomata per tractare atque enucleare debeant, placet coronidis loco uno alteroque exemplo illis præludere, ex suprà positâ sylloge quartum & quintum, (utpote quæ in superioribus justam interpretationem sortitæ non sunt, quam tamen reliqua omnia, pro ingenij nostri modulo, acceperunt) seligere, & illorum tractationem breviter subjicere.

Constatit autem ea. 1. Fundamentorum indicatione. 2. Genuini sensus redditione. 3. Exemplorum illustratione. 4. Rationum assignatione. 5. Ampliationum additione. 6. Restrictionum subjectione. 7. Contrariorum remotione. & 8. denique usus demonstratione.

AXIOMA QVARTVM.

Eandem rem ex plurimis causis possidere possumus.

1. Fundamentum hujus axiomatis, id est loca juris, in quibus illud continetur atque à prudentiæ nostræ magistris usurpatum, occurrit in nostrâ l. 3. §. 4. ff. de A. vel A. P. ibi, ex plurimis causis possidere eandem rem possumus ut quidam putant, item in l. 1. in pr. ff. Pro suo, in quâ dicit Paulus, pro suo possessionem (generalem sc. vid. C. I. A. lib. 41. tit. ult. 6. 3. in speciali enim secus esset; ut monet Ias. in comment. ad d. l. 3. §. 4. col. 8. pag. 74.) talem esse, cum dominium nobis acquireti putamus; & ex eâ causa possidemus ex quâ acquiritur, & præterea pro suo. Adducitur etiam à nonnullis, pro afferendo hoc axiome, §. Genera. 21. dict. l. 3. ff. de A. vel A. P.; Sed ibidem non dicitur, eum qui pro emptore vel pro donato, vel prolegato, vel pro dote, vel pro herede, vel pro noxæ dedito possideat, etiam pro suo possidere, immò subjecta exempla suadent, possessionem pro suo specialem, quæ cum aliis titulis concurrere non potest, ibidem intelligendam esse. Quemadmodum & difficulter illud elicetur ex l. Heredes. 25. §. 7. ff. fam. erc. quod tamen facere videmus D. Gothofredū qui in notis marginalibus ad d. §. 4. l. 3. hunc locum tâquam parallelum citat: quia enim ibidem à Paulo dicitur, id, quod coheres pro emptore, vel pro donato possidet, in judicium familæ erciscundæ non venire, facile possumus conjecturam capere, id non de rebus à coherede



herede titulo universali pro herede possessis (tales enim in iudiciū fam. erciscundā venire minus rectē negaretur) sed de illis potius accipiendum, quās titulo singulari, & non q. heres possidet; in quibus plū alitas causarū possidendi nulla.

2. Ut genuinum hujus axiomatis sensum eo faciliū assequamur, præmitendum per causas hīc nihil aliud intelligendum esse quām titulum, qui necessariō ad justam possessionem requiritur, quomodo etiam usurpatur in l. Nunquam. 31. pr. ff. de Acq. rer. dom. ibi: Si venditio aut alia justa causa præcesscrit. facit l. Cum res. 4.C. de contr. Empt. in quā causa donatiōnis & venditionis vocantur tituli possessionis. Quarum causatum nōnullæ à compositoribus juris post titulum de usurp. & usucap. peculiaribus rubricis recensentur; à nobis autem pleraque enumeratæ sunt, in d. part. I. comment. hujus nostræ, th. 76. Docet itaque ICtus hāc regulā, quod quamvis dominium unius & ejusdem rei corporalis nobis non possit contingere, nisi ex uno titulo, ex unā causā, suā naturā aptā ad transferendum dominium; tamen rem aliter se habere in possessione; in eā enim jus nostrum concedere, ut unam atque eandem rem corporalem, non ex unā saltem: sed ex plurimis causis possidere possumus. Ut ita possessio accedit ad naturam obligationum, in quibus contingit, ut eadem res sāpius nobis debeat. l. Et eandem. 14. §. Actiones. 2. ff. de Excepto. rei judic.

*3. Et quia exemplis rēs redditū illustrior placuit ICtis etiam huic regulā nōnulla subjecere, videamus ea quibus Paulus noster utitur in d. §. 4. l. 3. Dicit primō eum, qui usiceperit & pro emptore & pro suo possidere. Si enim ego emerim rem aliquam traditamque à venditore accepit, causa possessionis mēē emptio est, titulusq; pro emptore mihi inde suboritur. Cum quo conjungitur titulus pro suo, non tantum post impletam usucationem (certum enim est, rem, quam usicepi, me possidere ut mean) sed etiam ante, ut apertē dicit Ulp. ICtus in l. I. §. 1. ff. pro suo, ibi: incipio & ante usucationem pro meo possidere. Quarum causarum conjunctionem etiam idem Ulpianus asserit, in d. l. I. pr. ff. pro suo, ibi: ex causā emptio-
nis & pro emptore & pro suo possideo. Dicit deinde, sic & si ei, qui pro Emptore possidebat, heres sim, eandem rem & pro emptore & pro herede possideo. Si enim is, cui ego heres extiti, emerit rem, possidebat eam pro Emptore, & ego, qui illius heres extiti, id quod ille emit, ex eādem causā possideo. Cui accedit & alia causa hereditaria, possideo enim illam rem tanquam heres, quā possessionis pro herede causa tām certa est, ut si fortē defunctus eam tanquam rem emptam non*

non possedisset, si tamen ego eam reperissem in bonis eius, putans hereditariam esse, quæ talis non esset (exemplo §. sed tamen. 4. I. de *Vulg.* & long. temp. præsr. & l. Potest 36. pr. ff. eod.) rectè & justè eam possiderem. Plura exempla habet Ulpian. in d. l. I. pr. ff. pro suo, in rebus nobis donatis & legatis, quas non tantum prodonato & legato; sed & pro suo possidemus.

4. In assignatione rationis hujus nostri axiomatis interpres Iuris variasse deprehendimus. Donellus enim *libr. 5. cap. 16.* & *ibidem* ejus enucleator Hilligerus *lit. D.* rationem collocat in eo, quod possidere facti sit, & totiē possidere incipere videamur, quotiens naturalem possessionem nanciscimur, allegantes *I. 3. §. Nerva 13. ff. de A. vel A. P.* Nihil autem impedire, quod minus ut plura sunt facta, pluresve velut possessiones temporibus discretæ, ita in singulis ex novâ causâ possideamus, ut loquitur Everh. Bronchorst. *évarnogayw centur. 3. assert. 94.* Sed vix est ut assignatae rationis aliquod præsidium ex d. §. 13, de sumi possit: agitur enim ibi de rebus mobilibus, & quæritur quādū illarum possessio retineatur? Ad quam quæstionem ita respondeatur, ut quatenus sub custodiâ nostrâ sint, id est, quatenus, si velimus, naturalem possessionem nancisci possimus, hactenus possideri; apprehensâ autem naturali possessione rei mobilis, cuius possessionem jam antea acquisivimus, & solo animo retinuimus, non apprehendimus eam ex novâ aliquâ causâ, seu titulo; sed ex eo, ex quo primitus eam possessionem nacti sumus. Giphan. *in comment. ad nostram I. 3. §. 4. n. 46. & seq.* hanc rationem reddit; Quod possessio non tam rem ipsam afficiat, sed magis pendeat ex personâ, dicit argumento esse, quod propter possessiones dentur interdicta, quæ sint actiones personales; Et quia possessio sit detentio corporis ac animi, hinc non acquiratur nisi veræ personæ, cùm dominium etiam quæratur furioso, infanti, in ipsis; Quare cum non rem ipsam afficiat, sed sit detentio personalis, persona autem nunc hunc nunc illum titulum cogitare possit, hinc factum ut & pluribus ex causis possessio alicui obvenire possit. In quâ ratione plura desiderari possent, quæ tamen singulariter persequi nostri non est instituti. Videatur de interdictis, quatenus ea in *I. I. §. 3. ff. de interdictis* dicantur personalia, ut & an ad actiones in rem vel in personam referri debeant? C. I. A. *lib. 47. tit. 3. th. 50.* ubi post allegatum Wesemb. *in parat. ibid. n. 7.* & Vultei. *in Comment. Inst. ibid. n. 45.* etiam citat Petr. Frid. Middan. *ad dict. tit. cap. 7. n. 42. & seqq.* Cui quædam interdicta sunt realia, quædam personalia, quatenus nimis factum & q. maleficium



leficium aliquod persequuntur, vel quatenus rei alicujus possessionem. Franciscus Duaren. autem in comment. ad tit. de acquir. vel amitt. poss. ad l. 3. §. 4. mib. pag. 637. col. 2. rationem hujus axiomatis in utilitate ponit. Dicit enim animadvertisendum esse jura constituta ad utilitatem hominum. fac. l. Penult. ff. de jus. & jur. ibi: *in quaque civitate utile est*. Utilitatem autem visam esse hoc requirere in possessione, ut ex pluribus causis possit res possideri, & possidendo facilè possit perveniri ad acquisitionem dominij, ut si forte ex una causa interrupatur possessio, ex aliâ nihilominus possimus usucapere. Cùm enim queratur de acquisitione dominij rerum aliarum per usucaptionem, non tantum inspicimus an quis possideat; sed inspicimus etiam quam justam & probabilem possiden- di causam habeat, & sanè justius possidere & facilius acquirere do- minium usucacione eum, qui pluribus titulis utitur & qui pluri- bus ex causis possidet; atque ita tot titulis possessionem suam con- firmando prudenter sibi cavet & prospicit, ut quicquid evenerit res sibi acquiratur.

5. Ampliatur hæc regula I. ut non tantum locum habeat in concursu titulorum generalium & specialium, quemadmodum nonnulli putant axioma hoc tunc demum procedere, cùm unus titulus est generalis, alter specialis, qui opinionis suæ aliquod funda- mentum querunt in exemplis à nobis s. n. 3. adductis, ex l. nostræ 3. §. 4. & l. 1. pr. ff. pro suo. Sive enim dicamus concurrere titulum pro emptore cum titulo pro suo, vel titulum pro emptore cum ti- tulo pro herede, vel titulum pro donato vel legato cum titulo pro suo, semper concurrit titulus specialis cum generali. Nam tituli pro emptore, pro donato, pro legato speciales sunt: pro suo auté, & pro herede generales, ut quo ad priorem probat C. I. A. lib. 41. tit. ult. 0. 3. quoad posteriorem autem l. 1. pr. ff. de rei Vind. ibi: *post actiones que de universitate propositæ sunt*. Sed etiam in concursu duorum vel plurium titulorum specialium. Quod ipsum non modo exigit generalitas hujus axiomatis, quo Paulus in genere dicit, nos eandem rem ex plurimis causis possidere posse, ac proinde no- strum non sit inter titulos generales & speciales distinguere, cùm ille non distinguat. fac. l. De pretio. 8. ff. de Publ. in rem act. sed et- jam ostendit exemplū l. Cum res. 4. C. de Contrah. Empt. in quā men- tio fit tituli donationis & venditionis, quos speciales esse jam su- prā monuimus: & quamvis ibidem Impp. negent duplicari titu- lum possessionis, illud tamen contingit non propter imabilitatē titulorum, sed propter aliam causam, ut infr. in n. 7. dicetur. Neq;

C

genera-

generalitati obstant exempla à I Ctis usurpata, cùm exemplis regulam non restringi jam omnibus innotuit ex l. Regula. 9. §. si quis jus. s. ibi: licet municipum mentio in hác epistola fiat, tamen & in qualibet personâ idem observabitur. ff. de jur. & fact. ignorantia.

Ampliatur II. ut usuni habeat non solum in concursu titulorum diversorum, V.G. Si concurrat titulus pro emptore cum titulo pro suo, pro herede, vel pro donato &c. de quibus in antecedente ampliatione dictum: sed etiam in concursu titulorum ejusdem speciei, V.G. si titulus pro emptore concurrat cum titulo pro emptore: quale exemplum elicere possumus ex l. Pro emptore. 2. §. fin. ff. pro empt. ubi is qui alienam rem emit, atque ita pro emptore possidet, vero domino supervenienti, & rem petenti litis æstimationem præstat, quæ similis est emptioni, l. Litis. 3. ff. eod. tit. atque ita de novo incipit pro emptore possidere, ratione l. 1. ff. eod. tit.

Ampliatur III. ut obtineat non tantum si diversa sunt tempora illarum causarum, v. g. si post acquisitam ex unâ causâ possessionem alia quoque accedit causa, ex quâ possessionem nancisci possemus, si non possideremus, ut loquitur C.I.A. dict. lib. 42. tit. 2. 0. 21. n. 1. sed etiam si causæ illæ concurrant in idem tempus, id quod contingit in secundo exemplo à Paulo in d. §. 4. l. nostræ. 3. adhibito, in eo, qui heres existit illi, qui pro emptore possidebat; nam eo temporis momento quo nanciscitur possessionem rerum hereditiarum, rem illam à defuncto emptam, & pro emptore & pro herede possidet, nec dici potest unam ex ijsdem causis prioritate temporis alias præcessisse.

Ampliatur IV. ut procedat non modò in causis possessionum ex quibus nondum completa est usucatio: verùm etiam in causis ex quibus eadem usucatio jam completa & absoluta est. De quâ ampliatione cum quâdam q. hæsitatione mentem suam aperit Ulpianus in l. 1. §. 1. ff. pro suo, in quæstione, si res mihi ex justâ causâ, puta emptionis, tradita sit, & usucapiam, an post usucacionem completam ex causâ emptionis possidere desinam; dicit de eâ dubitari, & tamen Mauritianum existimasse non desinere: sed clarioribus verbis asseritur à Paulo nostro in d. §. 4. l. 3. dicente: eum qui usuceperit & pro emptore & pro suo possidere. Non quidem nos latet verbo præteriti temporis, usuceperit, à nonnullis affingi sensum futuri, & explicari pro eo, qui usucapere inchoaverit, ut à Dyno, à Bartolo, à Dn. Gothofredo in not. marg. ibid. Sed alij fortius & verius pro verbi proprietate & significatione quotidiana & usitatâ pugnârunt, statuerunque etiam eum qui usucacionem impletit, &

vit, & pro emptore & pro suo possidere, ut videre est apud Iason. in comment. ad d. §. 4. col. 1. pag. m. 72. qui Bartoli expositionem violationem literæ vocat, & apud Duaren, in comment. ad d. §. 4. m. pag. 638. col. 1. ubi simul respondet ad objectionem, à defectu utilitatis (in quâ causam illius cumulationis titulorum posuit) desumptam, quâ contradicentes dicunt, nullam esse utilitatem, ut completâ usu capione adhuc ex aliâ causâ possideamus; Replicat enim, quia id semel constitutum fuit, sine evidente causâ illud non esse mutantum. fac. l. in rebus. 2. ff. de const. Princip.

Ampliatur V. ut vera sit regula non tantum in eo, qui sibi possidet, de quo casu omnia exempla superiùs adducta loquuntur, sed etiam in eo, qui suâ detentione alterius possessioni præstat ministerium, exemplo notabili in l. Si quis ante. 10. §. idem Pomponius. 1. ff. de A. vel A. P. in eo qui conduxit prædium, & rogavit precariò, nō quidem ut possideret, sed ut in possessione esset hunc enim prædium istud locatori & precariò concedenti ex duabus causis ex cōducto & ex precario possidere dicendum esse, quod etiam approbat C.I.A. dict. loc. θ 21. n. i.

6. Restringitur hæc regula, ita ut ex pluribus causis non possideamus. I. Si concurrent tituli quorum unus aptus est ad possessionem transferendam, alter non, quos Ioh. ab Immola in lectur. ad d. §. 4. col. 1. p. m. 57. vocat contrarios, eo enim casu saltem possidemus ex unâ causâ, & eo quidem titulo, qui possessionem transtulit; Exemplum occurrit in d. l. 10. pr. ff. de A. vel A. P. in eo qui ante conduxit, & postea precariò rogavit (sc. ut possideret, idque arg. §. 1. seq.) quem ICtus à conductione discessisse dicit. Quia enim conductio non solet transferre possessionem in colonum vel inquilinum, facit l. Certè. 6. §. is qui rogavit. 2. ff. de precario. precarium autem, in eo casu, quo quis precibus addidit, ut possideret, soleat trāsferre possessionem, fac. l. 4. §. meminisse. I. & l. 15. §. 3. ff. de precar. ideo isti tituli concurrere non possunt, ita ut conductor rem conductam sibi quidem pro precario, locatori autem pro conducto possideat. Add. C.I.A. d. θ. 21. n. 1. & Everh. Bronchorst, d. centur. 3. assert. 94.

II. Si concurrent causæ utiles & inutiles, tunc enim rem illam non ex pluribus, sed unâ saltem, eâque utili possidere diceremur: Exemplo l. Cum res. 4. C de Contr. Empt. uti in seq. n. 7. pluribus indicabitur: Atque hanc limitationem etiam agnoscit Immola in d. lectu. §. 4. l. nostræ. 3. col. 1. p. 57.

7. Obstare autem videntur regulæ nostræ. I. quidem & præcipue modo d. l. 4. C. de Contr. Empt. in quâ Luciano à quâdam donatrice

omnia bona donata & tradita erant, quae deinde ab herede donatrix eidem distracta sunt, ita ut titulos pro donato &c. pro emptore concurrere dicendum esset, sed rescribunt Impp. eide in titulum possessionis duplicari non potuisse. Glossa existimat possessionem ibidem significare dominium, ita ut titulus domini Luciano duplicari non possit, que etiam varios invenit sui approbatores, Accursum sc. ad d. l. 4. Petr. Fabr. in l. Non ut ex pluribus. 159 ff. de reg. jur. Giphan. ad nostram. l. 3. §. 4. n. 49. Hilliger. in Donell. encl. d. l. 5. cap. 16. in not. lit. B. Duaren. in comment. ad §. 4. nostra. l. 3. p. 638. col. 2. qui vult ex verbis rescripti apparere Impp. ibidem consultos fuisse de acquisitione dominij propter possessionem, Bronchorst in d. assert. 94. centur. 3. object. 2. & denique Dn. Gotlio fr. in not. marg. ad alleg. l. 4. ad voculam possessionis. Sed nihil prohibet quod minus vocabulum possessionis ibidem propriè sumatur, & causa, cur Luciano titulus possessionis non duplicetur, ponatur in eo, quod ille ex causâ emptionis planè non: sed saltem ex causâ donationis possideat, cum bonis sibi donatis & traditis, adeoque eorum dominio adepto, emptio rei suæ atque propriæ locum habere non potuit. Quam explicationem habet Ioh. Borcholten, in 2. disp. de acquir. vel am. poss. prop. 15. arg. 1. & ult.

II. l. Pro emptore. 2. §. fin. ff. pro empt. in qua Paulus noster dicit, si rem alienam emero, & cum usucaperem, eandem rem dominus à me petierit, non quidem interpellari usucaptionem meam litis contestatione: sed tamen si litis aestimationem sufferre maluerim, ex sententiâ Iuliani, causam possessionis mutari mihi, qui litis aestimationem sustulerim; idemque esse, id est ut causa possessionis mutetur, si dominus ei, qui rem emisset à non domino, donasset: sequitur ergo quod causâ possessionis mutata, non ex utrâque, sed posteriori saltem possessio procedat. Sed bene res se habet, si dicamus ICtum ibidem non de causa possessionis simpliciter, sed respectu & intuitu usucaptionis agere, atque hoc velle, quod isti emptori, qui litis aestimationem sustulit, aut cui res à Domino donata est (proindeque reverâ dominus factus est) non opus sit pristina causa possessionis ad implendam usucaptionem, ita ut possideat quidem ex veteri causa, sed ea nō profit ei ad usucaptionem, cum id quod jam ipsius sit, ab eo usucapi, l. Sequitur. 4. §. lana. 19. ff. de Usurpat. & Usucap. atque ita ipsius dominio amplius adiici non possit, fac. l. 3. ff. eod. t. quam legis illius resolutionem approbant Duar. d. loc. p. 638. col. 2. & Ioh. Borch. d. disp. 2. 6. 15. arg. penult.

8. Utetiam usum hujus axiomatis breviter indicemus, si in facto



facto contingat, ut is qui unam & eandem rem ex pluribus causis, V.G. pro donato, & pro emptore possideat, interdictum aliquod seu judicium possessorum instituat, allegando unam tantum causam donationis videlicet, in cuius probatione deficiat, atq; ita vincatur, eum enim non prohiberi, eodem interdicto sibi defendere possessionem ex alijs causis, & descendere ad probationem tituli emptionis, non obstante rei judicatae exceptione, esse enim rem aliam in judicium deductam. Quem usum monstrant Donell. & eiusdem enucleator Hillig. dict. lib. 5. cap. 16. in fin. Borcholt. in d. disput. 2. q. 15. arg. 3. in fin. Everh. Bronchorst. d. centur. 3. assert. 94. p. 194. & s. nos ipsi indicavimus in quæst. 3. n. 2. hujus comment.

AXIOMA QVINTVM.

*Dominium nisi ex una causâ nobis contingere
non potest.*

1. Fundamentum hujus axiomatis, præter nostrum textum junct. §. antec. 4. hinc inde in voluminibus Institutionū, Pandectarum & Codicis occurrit, ut videre est ex §. sed si rem. 10. ibi: quod proprium est ipsius, amplius ejus fieri non potest. I. de legat. §. sic itaq. 14. ibi: nec res, quæ jam actoris est, magis ejus fieri potest. I. de action. l. & an eadem. 14. §. actiones. 2. ibi: neq; enim amplius quam semel res mea esse potest. ff. de except. rei jud. l. Non ut ex. 159. ibi: non ex pluribus causis idem possit nostrum esse. ff. de R. I. l. 13. ibi: proprias tuas res legari vel fideicommitti tibi non potuisse certum est. C. de legat. Adducunt etiam alij l. Cum res. 4. C. de Contrah. Empt. quod eatenus procedit, quatenus voculam possessionis dicamus denotare dominium seu proprietatem.

2. Verus hujus axiomatis sensus hic est; Quamvis in jure proditæ sint variae cause, varijque tituli apti ad dominium quærendum, quæque traditionem in primis præcedere solent, ne ea nulla sit, sed dominium transferre possit, secundum l. Nunquam. 31. ff. de A. R. D. quales sunt, emptionis, donationis, legati, dotis, rei judicatae, solutionis, noxæ deditiois, adjudicationis in iudiciis divisorijs, permutationis &c. qui à nobis recensiti in part. I. nostra. Comment. 9. 76. Quamvis etiam circa dominium alicuius rei acquiendum plures fortè concurrant, non tamen dominium nobis ex omnibus istis obvenit; sed ratione effectus ipsius acquisitionis una saltē operetur, dominiumque nobis realiter conferat atque adjiciat.

3. Ut autem exemplis nonnullis rem reddamus faciliorem,

C 3 pon-

58

ponimus I. casum eum, qui in § d.l. 4. C. de Contr. Empt. continetur; si enim quidam à Luciano percontatus fuisset ex quanam causa sibi dominium rerum donatarum & postea emptarum fuisset acquisitum, ratione modi acquirendi quidem nominasset traditionem, quæ ne nuda esset, opus haberet titulo aliquo, sive causa; quā ipse non simul in donatione & emptione collocare potuisset, sed saltem allegaturus unicè esset titulum donationis. Si verò in facto contigisset, quod ex donatione ea dominium ad se, quacunq; causa impediente, non translatum fuisse demonstretur, tunc demum, omisso titulo donationis, unicam istam emptionis causam laudasset; Quod innuunt Imp. illis legis verbis *in medio*, ibi: *At tunc demum tibi profuit (scilicet titulus emptionis) si ex donatione te non fuisse dominium demonstretur.* Ponimus II. casum ex d.l. 2. §. f. ff. pro empt. in eo, qui rem alienam emit à non domino postea sibi à vero domino donatam. Hic enim ex solo quidem traditionis modo dominium acquirit, verùm non præcedentibus duabus causis conjunctim, sed unico donationis titulo, quæ facit ne ista traditio sit nuda & ad transferendum dominium inepta.

4. Circa rationem assignandam itidem interpretes variare solent, ut in superiore axiomate. Nam Donellus & ejus enucleator Hillig. d.lib. 5. c. 16. lit. D. rationem differentiæ in eo collocant, quod dominium, undecunque sit, sit unum; Quam rationem etiam approbat Bronchorst d. cent. 3. assert. 94. addens quod semel meum est amplius meum fieri non posse, quod ipsum, ut veram hujus axiomatis rationem adducit C.I.A. lib. 41. tit. 1. §. 8. n. 1. Cui proxima est ea ratio quam reddit Giphanius *in nostra l. 3. §. 4. n. 46. & seq.* statuens hanc inter dominium & possessionem differentiam: quod dominium sit jus plenissime rem afficiens, cum possessio magis pendeat ex persona, quæ nunc hunc nunc illum titulum cogitare possit. Franciscus Duarenus *in d. Comment. ad h.l. nostra. 3. §. 4.* rationem in defectu utilitatis ponit, dicit enim pag. 637. col. 2. f. idem, quod antea de possessione dixerat, (sc. quod utilitas visa sit requirere, ut ex pluribus causis possit res possideri, & possidendo faciliter perveniri ad acquisitionem dominij) de dominio dici non posse, sufficere enim ne ex una causâ dominum esse factum, cum nihil amplius & maius requirere possim: Addit porrò ibidem, differre hâc in re possessionem & dominium, veluti cursum & metam in studio; eum enim, qui possidet, cupere dominium acquirere: postquam dominium acquisitum est, nihil amplius posse desiderare: & pag. seq. 639. col. 1. hoc ipsum repetit scribens; dominium no-



um nostrum esse ex pluribus causis, nullam utilitatem afferre.

5. Axioma hoc ampliari potest, ut procedat. I. Non tantum in concursu tituli universalis & singularis, quo modo is, qui ex causa hereditatis dominium acquisivit, dicere non potest, etiam si forte rem emat, ex titulo emptionis sibi dominium obtigisse: sed & in concursu duorum titulorum singularium, quomodo ille qui ex causa donationis acquisivit, causam emptionis postea accendentis obtendere non potest: ut & duorum titulorum universalium, quomodo is qui titulo hereditatis dominium adeptus est, simul titulum bonorum possessionis allegare non posset. II. Non solum in concursu cause juris gentium cum causa juris civilis, veluti si concurrere dicatur causa dotis cum causa emptionis; verum etiam si circa dominium ejusdem rei acquirendum concurriere dicantur duas vel plures causae juris gentium, v. g. causa emptionis cum causa derelicti; aut duas vel plures causae Iuris Civilis, ut causa dotis & legati. III. Non modo in causis diversi temporis, quod apud omnes juris interpretes in confessio est; veluti si rem a no Do- mino emptam legitimo tempore possedi & usucipi, modus acquirendi dominij usucapio est, causa emptionis, titulus pro emptore; Ergo quamvis finita usucapione & acquisito dominio, eadem res ab eo, qui quondam dominus erat, mihi donetur, non tamen ad causam & titulum emptionis novum quid accedit, ut res dicatur mea esse & ex causa emptionis, & ex causa donationis: sed revera dominium mihi ex unica emptionis causa obtigit: Verum etiam in causis in idem tempus concurrentibus: v. g. ut exemplum *ex nostra l. 3. §. 4. sumamus*, heres illius, qui rem aliquam pro emptore possidebat, eodem quidem temporis momento incipit pro herede & pro emptore possidere, non tamen ex utraque causa dominium ipsi continget, sed una tantum ex illis praferenda erit; quam ampliatione habet Duaren. *ibid. pag. 640. col. 1.* plerisque juris interpretibus communiter dissentientibus, ut in subsequentibus audiemus.

6. Limitandum enim nonnulli putant hoc axioma I. in causis in idem tempus concurrentibus, ut videre est apud Bartolum *in d. §. 4. nostra l. 3. col. 1. m. pag. 82.* qui glossam secutus summam. §. hanc constituit: *possessio potest haberi ex pluribus causis, non contrarijs, sed diversis & se invicem compatientibus; dominium vero non potest haberi ex pluribus causis in diversum tempus acquisitionis concurrentibus, utraque causa remanente, quem sequuntur Iason in lect. ad d. §. .*

d. §. 4. col. 1. pag. 72. Alexand. consil. 68. col. 2. volum. 5. Ioh. ab Imola ad d. §. 4. col. 1. pag. 57. ubi scribit: *dixi in idem tempus acquisitionis non concurrentibus, quia alias secum, allegando. l. In numerationibus. 44. ff. de solut. in qual. quoniam iCtus varijs exemplis ostendere nititur, ex una numeratione plures obligationes nonnunquam tolli, ideo hinc effici ajuunt, nonnunquam dominium acquiri creditoris ex pluribus causis: Sienim ex pluribus causis solvatur res, eadem ratione ex pluribus causis dominium rei solute creditoris acquiretur: Sed limitationem istam erroneam esse, præter illa, quæ supra adduximus, ex eo apparet, quod in exemplis d. l. 44. non plures causæ concurrant, sed una tantum nempe solutionis causa, atque ita titulus pro soluto, de quo peculiaris rubrica reperitur in vulgata & Holoandrina editione, ut & in nostro exemplari manuscripto Reuchliniano, post tit. de Vsurp. & Vsucap. quæ tamen in Florentina non extat, quamvis in l. 46. & 48. ejusdem tituli pro soluto mentio fiat.*

II. In eo casu, quo prima acquisitionis dubia, vel secunda plenior sit, quam restrictionem fovere Tiber. Decian. vol. 2. resp. 13. n. 1. testatur Philipp. Matth. *dereg. jur. ad d. l. 159. n. 12.* Nam ut rectè jam Iaudatus Matth. *ibidem* docet, acquirendi dominij causæ omnino tales non sunt, ut altera alterâ plenior esse possit, nec dominium acquisitum dici potest ante, quam certò constiterit de causa, ex qua illud acquisitum est; quam restrictionem etiam suam facit C.I.A. *d. lib. 41. tit. 1. §. 8. n. 1.*

III. in eo, qui utile dominium habet, hunc enim directum acquirere ex alia causa posse statuunt nonnulli, ut videre est apud Dn. Goth. *in not. marg. add. §. 4. l. nostræ. 3. in fin.* Sed nec hanc restrictionem alicujus ponderis esse patet ex eo, quod axioma nostrum de dominio propriè dicto, id est, de jure, quo res aliqua corporalis nostra est, conceptum sit, proindeq; ad acquisitionem emphytheusos, ususfructus, cæterorumque jurium, à dominio separatorum & diversorum, quæ apud Doctores dominij utilis nomine veniūt, non sit extendendum.

7. Sed axiomati nostro multa à multis opponuntur. I. quidem l. 3. ff. de Vsurp. & Vsucap. ubi usucatio dicitur esse *adjectio*, sive ut Ulpian. *tit. 19. §. 8.* & cum eo Cujac. *in not. ibid. pag. 152. lit. C.* & in tit. de Vsurp. & Vsucap. *ad d. l. 3. p. 260.* legit *adeptio* dominii: Si enim usucacione adipiscimur dominium, & ex pluribus causis usucapimus (procedit enim usucatio per possessionem, quæ plures causas admittit,) sequetur quod etiam ex pluribus causis dominium

nium acquiramus. *Huic dubio satis facimus non quidem modo Accursiano, qui consequentiam hujus syllogismi declinaturus, negat usucaptionem esse dominij adeptionem, sed potius adeptio- nis causam, nam si esset adeptio, fore ut dominium pluribus ex causis acquiratur, quia nonnunquam pluribus ex causis usucapi- mus; sed modo respondendi Cujacio usurpato, qui d. comment. ad l. 3. breviter & nervosè ita scribit. Ab eo nos ita explicabimus, si con- stituamus unam tantum esse, & proximam, usucaptionis causam, posse- sionem. Ejus possessionis fieri posse ut sit multiplex titulus, ad titulum pos- sessionis esse causam, possessionem usucaptionis. Possessionis plures causas esse posse. usucaptionis non nisi unam esse causam, dominij non nisi unum titulum. Hæc Doctor noster Cujacius. Quem ante nos etiam ad- hibuerunt Ioh. Borcholt. d. diss. 2. 8. 16. arg. 1. & ante Cujac. quam- vis obscurius, Franciscus Duarenus in d. comm. pag. 639. col. 1.*

II. L. Fundo legato. 4. ff. ad l. Falci d. in qua lege fundus quidam mihi sub conditione legatur, quod legatum heres existente condi- tione mihi debet. Ille ipse autem heres, à quo legatum mihi reli- cti, pendente conditione testamento heredem me instituit, & decessit; ego hereditatis aditione, ut omnium aliarum rerum here- ditatarum, ita & ejusdem rei legata & dominus effectus sum; postea legati conditio extitit, eadem res mihi acquiritur ex causa legati, acquirit enim legatarius, agnoscens legatum, dominium rei lega- tæ existente conditione, quod innuit ICtus Papinianus ibid. in ver- bis: *fundus meus esse intelligitur jure legati, atque ita occurrit exem- plum in quo ex duabus causis mihi acquiratur dominium. Sed pro- ba est responsio Duaren. d. loc. pag. 640. col. 2. ita scribentis: in d. l. Fundo, non dicitur ex utrâque causa rem legatam acquiriri legata- rio, jure legati & jure hereditario: Sed ICtus ait: meus esse fundus intelligitur, non dicit quid jure hereditario & jure legati fundus meus esse intelligatur. Ego quidem dominus fui rei legatae ante conditionis eventum: sed conditione eveniente mutata est cau- sa dominij, ego hic duarum personarum vicem sustineo, & heredis & legatarij, pendente conditione sum dominus ex causa heredita- ria, existente vero conditione sum dominus ex causa legati, sic vi- detis has causas non concurrere sed se subsequi: ubi in seq. & rationem reddit, cur fundus iste potius jure legati meus esse intelliga- tur: cui etiam subscribit Borcholten d. loc. 8. 16. arg. 2.*

III. Pr. Inst. de Usucap. & long. temp. prescript. ubi inter requi- sita usucaptionis numeratur non solum emptio, donatio, vel alia justa causa: sed etiam bona fides. Has causas esse diversas, & ta-

D

men

meritatem rursum in acquirendo dominio per usum pionem sed
hancobjectionem plus sophisticationis fidetur quam si obvis pia-
xerat quia supra ad nobiscum reposita sunt patet lex ea quidam axioms
notrum de loco cuiuslibet causarum & titulorum inter se cōstat caput
sit, eundemque concipiunt in acquisitione dominii ne jus demissio
negat; objecatio autem concursum titulorum, cemptionis scilicet dona-
tionis, vel alterius justae causa, cum bona fide contineat, adeoque
in ijsdem terminis non persistat; dicitur in Q: de jure que est in ijsdem
iis si IV. s. Denique contrarium non nullum etiam elicere conantur
excl. Si materiali. s. si quis autem. 2. De eandem causa. qd sit alia et equi-
ficiuntur s. in si item ex h. Et an eadem. 14. §. 2. ff. de excepto rei jud. in qui-
bus cum ille dicant, qualecunque & undecunque dominium ac-
quisitum habeat actor, id vindicatione prima in judicium deduxit,
item, omnes causae una petitione comprehenduntur; ideoq; col-
ligunt lex eos, quod pluribus ex causis dominium acquiri possit; itē
ex d.l. In numerationibus. 44. ff. de solut. & liberat in qua cum dicatur
eandem pecuniam in plures causas solvi posse, quæ etiam senten-
tia est. l. Cum quis sibi. 38. §. de peculio. 2. ff. eod. tit. & elici quoque po-
test. ex l. Si Creditor. 28. §. Marcellus. 1. ff. de leg. & fidej. 1. ideo exinde
concludunt quod creditor eadem ratione ex pluribus causis domi-
nium rei soluta acquirat. Verum istas objections fragiliores esse,
quam ut veritatem axioms nostri infringere possint, patet, quo-
nd posterius, ex eo quod s. n. 6. in 1. limitat. dictum est, occurrere in
his casibus, non plures, sed unicum solutionis titulum; quoad pri-
us vero, ex illo quod quidam extibus allegatis inferatur ex plu-
ribus causis rei aliqui jus dominium acquiri posse, cum plures &
variae sint dominij acquirendi causæ; non autem inferri possit,
quod plures illæ causæ circa acquisitionem ejusdem rei concurrat,
ut ex dicendis manifestius apparebit.

8. Superest ut usum hūjus axiomatis paucissimis etiam ostē-
damus, quem defūmemus ex modo d. i. n. 4. S. actiones 27ff. decept.
rei jud. ibi enim Paulus ostensurus differentiam aliquam inter a-
ctiones in personam & in rem, primò quidem eadem ita propo-
nit, quod cum eadēm res ab eodem mibi debeatur singulas obli-
gationes singulæ causæ sequantur, nec illa eatum alterius petitio-
ne vitietur id est, etiam si agam in personam, & vincar eo judicio,
non tamen prohibe or denuo agere, si modò ex alia causa agam:
At cùm in rem ago, non expressâ causâ, ex qua rem meam esse di-
co, omnes causæ una petitione comprehendantur, id est, si in rem
ago simpliciter non expressa certa aliqua causa dominij mei, o-
mnes

Sed
ar-
em-
tum
ofe-
nat
que
vdo
ptur
qui-
nas-
ixit,
col-
; ité
atur
aten-
e po-
inde
omi-
esse,
quo-
re in
d pri-
plu-
es &
ossit,
xrat,
ost-
cept.
her a-
oppo-
obli-
etiti-
dicio,
am:
se di-
n rem
ei, o-
mnes
hiles causas qid est mea intentione comprehendisse; deinde vero
ratio nec differentia sed biicit, quam in hac ipsa regula collocat,
quod quidem amplius quam semel res mea esse non possit, sapientis
autem debet possit: id est, qui in rem agit contendit se dominum
esse, & quanvis intentione suâ generali omnes causas compre-
hendere, tamq; in persecutione litis docere debet ex certa aliqua
ipsa sibi aquisitum donum, quod non nisi ex una semel sibi
obvenisse dicere potest: Qui vero in personam agit, docet sibi debe-
ri, quod ex pluribus causis fieri potest. Quæ ipsa ratio, quamvis ali-
quo modo sorde revideatur Dn. Goth. in not. marg. ad d. l. 14. §. 2.
dicent, ista verba aut nihil aut parum ad superiora facere, videmus
eamen ejusdem validitatem à Compositoribus juris vel eo ipso a-
gnitam, quod eam retiam transtulerint in tit. de reg. jur. & quidem
in sup. d. l. 159. quæ eundem auctorem eandemque inscriptio
legit ex l. 2. Ceterum, idem ex hoc agnoscit, utraque enim ex Pauli
concupiscentia dnoq; clementi easdem ratione ex pluribus causis dnoq;
huius leui ieiuniis scdit. Aetius usq; opere legitur etiam
etiam p. 1. Et tantum de hisce
Politissimo Dn. Respondenti

WIELANDI partas horum ne desere laudes,
Qui bona fecerunt, me duce, verba prius,
Quin age tu, quod agis, doctâ certare palæstrâ,
Justitia que Tibi conciliare decus.
Quique recognoscis quēis sit possessionis causis,
Et inodos inter pulpita clara secas,
Hoc statuas, animum dominus quæ possidet intrâ,
Nullis præstigis posse perire fori.
Boniorum ergo
co. omnes causas nra beatitudine completere quæcumq; id est, q; in tem-
Præses.

II.

Si quicquid est, (cùm tamen nil sit in mundo,
Quod lege non hāc ventitet,)
Vel possidet, vel possidetur; Congruē
Ergō tuos, cum disputas
Possessionis formulas, sensus regis,
Quò in te sit unum dicere,
Reverā Amici innumerime captitant,
Et rursus illos captitat
Doctrina, quā Possessiones explicat,
Et inter hos quam plurimū

Ioh. Majorem

III.

Iam se cùm vatiis attollit ad æthera plantis
Wielandi, ingenii lux genuina tui.
Iam tua, quam meruit docilis solertia, famæ
Gloria cùm vernis floret oletque rosis.
Iam cùm fertilibus, qui spe solantur agrestes,
Agris & Patriæ spemque Parentis alis.
Sic caput evolvis tenebris, sic nescia virtus
Serpere humo véluti Mulciber alta petit.
Jupiter hasce minas virtutis & augeat æstum,
Ut quod nunc onus est, post tibi fiat honos.
Sic erit ut quæ nunc committis semina sulcis,
Tandem multiplici fœnore reddat ager.

ita vovet
Ioh. Philippus Dietffenbach LL. Stud.

IV.

Que ne vous doibt Wieland, ô neuf Soeurs divines,
De l'auoir enseigné dez Sa fleur enfantine,
Sur le mont de Parnass': mais plus vous debuent ell'
D' illustrer leur renom, & le rendre immortel.
Beaucoup plus vous debouous, pour ces vos rares discours,
Que vous rendez publics, comme serains & clairs jours
Nous descouuraut de loing les grands escueils de droits,
Gloir' Eternell' aurez, loyer de tels epploits.

Hæc qualiacunque Amicissimo suo amicis-
simâ vola deproperabat

Leonhard Theuenot Montbelig. LL. St



X2615889

VD17




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-573886-p0032-1

DFG

Farbkarte #13



B.I.G.

COMMENTATIONIS

*Ad locum Furi famosissimum vexatissimum
mung in L. Posideri 3. §. Ex contrario s. ff. de acquir.
vel amittend. possit.*

77.

1643,2.

**PARTIS POSTE-
RIORIS**

*MEMBRVM QVARTVM,
DEO OPTIMO MAXIMO AUSPICE*

*IN CELEBERRIMA REIPUBLICAE ARGENTORATENSIS UNIVERSITATE publici
& solennis exercitij gratia propositum*

A

GREGORIO BICCIO, BUDISSINO,
U.J. Doctore, ac Pandectarum Professore
ordinario,

RESPONDENTE
JOHANNE-HEINRICO WIELAND
RICHOVILLANO.

Die Mensis Maij hor. à 7. promerid.
in Auditorio Novo.



*ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS ANDREÆ
M. DC. XLIII.*